

modaliter, quæ tres distinctiones magis communiter pro eadem sumuntur.

Tertia.

*Tertia*: Si motus esset quid distinctum à suo termino, sequeretur in qualibet mutatione duplicem esse mutationem: patet sequela v. g. in aqua, dum calefit: *Primo* enim mutaretur per calorem, quem recipit. Deinde mutaretur etiam per motum, quo producitur ille calor, & sic esset in qualibet mutatione duplex omnino distincta mutatio, nimirum vna mutatio causata per ipsum motum, & altera mutatio causata per rem productam per motum.

Resp.

Resp. negando sequelam maioris: & dum fit instantia, quòd aqua mutetur per calorem, dico quòd non; sed quando habet calorem, dicitur mutata, & non amplius mutari: per solum ergo motum dicitur mutari, & non per formam acquisitam: Dices se habet aliter *in facto esse*, quàm prius, ergo mutatur. Se aliter habet *in mutato esse*, concedo, non tamen se habet aliter ac prius *in fieri*, ergo non mutatur tunc duplici mutatione, quia, vt dixi, quando habet formam non amplius dicitur mutari, sed mutata esse, scilicet ipsa aqua.

Quarta.

*Quarta*: Entitas dicta motus superflue dicitur distinguì à termino, & mobili. Probatur: quia sufficienter intelligimus corpus moueri abque acquisitione nouæ entitatis, dummodò consideremus illud diuerso modo se habere in diuersis partibus spatij, loquedo de motu locali: & in diuersis gradibus qualitatis, quoad motum alterationis: & in diuersis partibus quantitatis, dum est fermo de motu augmentationis, ergo frustra ponetur diuersa entitas adueniens mobili, & termino, vt mobile dicitur moueri; & forma, seu terminus dicitur acquiri.

Resp.

Respondeo negando frustra poni illam nouam entitatem mobili, & termino aduenientem, vt motus obineat rationem motûs, vtque mobile dicitur moueri, omne enim denominatum reale sic denominatur per formam aduenientem realem, ergo nunquam aqua dicitur moueri ad calorem obinendum, nisi per aliquod accidens de nouo sibi adueniens, scilicet per motum calefactionis. Dum verò dicis sufficienter intelligi moueri corpus, ex eo, quod aliter se habeat nunc, ac prius, concedo; sed nego quòd se habeat nunc aliter, ac prius absque vlla entitate noua adueniente, nam vt supra dicebam, non habetur denominatio realis, nisi per aliquid reale de nouo adueniens.

Quinta.

*Quinta*: Rectè intelligimus partem caloris acquiri post partem, etsi non intelligamus aliquem fluxum distinctum à partibus, ergo acquisitio caloris non est quid distinctum ab ipso calore, & per consequens motus non est distinctus à termino. Confirmatur ex Aristotele, & Commentatore dicentibus, quòd ire ad calorem sit quodammodo calor.

Resp.

Respondeo negando, quòd possimus intelligere partem caloris acquiri post partem, nisi intelligamus vnam partem fluere post aliam, nihil enim fluit, nisi per aliquem fluxum, ergo præter rem, quæ fluit, necesse est ponere aliquem fluxum distinctum à re fluente, sicut in re figurata præter ipsam rem, necesse est concipere figuram. Ad autoritatem Arist. & Commentatoris dic

potius id improbare, quàm approbare, nam non dicunt absolute esse calorem, sed quodammodo, id est veluti in concreto; quia forma fluens importat fluxum, sicut res figurata importat figuram. Item nec posset saluari successio in alteratione, nisi admitendo illum fluxum.

*Sexta*: Sicut se habet res producta in instanti ad suam productionem, ita se habet res producta in tempore, & successiue ad suam productionem: sed res producta in instanti nihil ponit, nisi seipsam, non verò aliquem fluxum, aut motum instantaneum, quo producatur, ergo nec res producta in tempore, & successiue ponet aliquem motum, seu fluxum successiuum à re producta distinctum.

Respondeo negando maiorem; nam ideò talis fluxus datur in productionibus successiuis, quia vna pars acquiritur post partem, vnàque fluit post aliam, ipsique succedit; at non sic se res habet in productionibus instantaneis.

*Septima*: Si ad productionem caloris requiratur aliquis fluxus entitatiue distinctus à calore, ille fluxus debet produci, ergo ad eius productionem requiretur alius fluxus, sicque in infinitum.

Respondeo esse disparitatem; nam v. g. calor producitur *vt quod*, ideòque requiritur aliquid, quo producatur, & est ille fluxus, seu motus, qui acquiritur *vt quo*, non verò *vt quod*; sed ad ea, quæ acquiruntur *vt quo*, non requiritur aliquid aliud, quo acquirantur; non enim *modorum dantur modi*, vt vulgò dicitur; nam licet quantitas sit quanta, atamen non habet aliquid prius se, quo sit quanta, quia quantitas est id, quo alia sunt quanta. Item albedo non habet aliam albedinem, quo fiat alba, quia est id, quo res alix fiunt albæ: ex hoc etiam soluitur istud: si motus præsertim localis esset quid aliud à re, quæ mouetur, sicut res mouetur per illum motum, ita ille motus debet moueri per alium motum, & sic in infinitum: dicendum inquam est illum motum moueri *vt quo*, & per consequens non indigere alio motu, quo moueatur.

Circa dictum axioma, *modorum non dantur modi*, nota non debere intelligi absolute, sed modorum non dari modos eiusdem rationis; id est albedo non est alba per aliam albedinem, nec quantitas quanta per aliam quantitatem; modorum tamen dantur modi alterius rationis; nam quantitas est modus substantiæ. Item situs est modus quantitatis, sed diuersæ rationis inter se: & hoc obiter dictum sit.

*Octava*: Quæ etiam probat non distinguì motum à mobili: Quæ habent diuersas entitates, vnum potest conseruari sine alio; sed implicat motum conseruari sine mobili, ergo motus non est quid distinctum à mobili.

Respondeo concedendo maiorem de habentibus diuersas entitates absolutas; nego verò de habentibus diuersas modales; at motus est tantum entitas modalis superueniens rebus: quæ mouentur: sicut Deus non potest conseruare meam sessionem sine me sedente, ita nec motum sine re, quæ mouetur: poterit quoque absolute concedi maior, negarique minor; nulla enim videtur in hoc implicantia.

*Nona*: Sicut se habet res ad suam quietem, ita

ita